

la candoris, quæ à Spiritu Sancto fecundata, fructum immortalitatis conferunt degustata.—Uberimè.—Gloria.—Uberimè.

## IN III. NOCT.

*Ant.* 1. Exulabimus, et latabimur in te, memores Uberum tuorum.

2. Benedicta sint Ubera tua, quibus lacte deifico Salvatorem enutristi.

3. Benedicta sit emanatio virginalium Uberum tuorum.

γ. Meliora sunt Ubera tua vino.

η. Fragrantia unguentis optimis.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et Ubera, quæ xuxisti. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

*Homil.* 21. in Joann.

Ne miris, si Christus Virginis fructus non beata predicaverit feminea Ubera: neque illa superbi aut contumacis verba esse existima. Nam quod matrem plurimum revereret, eique honorem haberet, audi Lucam, cum parentibus subiectum illum narrat: Joannem item, cum curam sub ipsum crucis tempus illi ab eo impensam refert. Tu.

η. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, \* Exiguas de virgineo pectore guttas expectat.

γ. Exprimitur lac ex Uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatore. — Exiguas.

*Bened.* Cujus virginalia Ubera.

LECTIO 8.

Hæc itaque tecum ipse considerans, ac cum audieris, mulierem quam-

dam dicentem: Beatus venter, qui te portavit: tumque illum respondentem: quinimò beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: prudenti id consilio dictum existima. Non enim ita respondit, quasi Matrem rejellat, sed ut ostendat, ne Matri quidem quicquam prodesse, quod genuerit, nisi valde proba sit, ac fide præstet. Tu.

η. Gaudete cum eâ gaudio universi, qui diligitis eam, \* Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus. γ. Quomodò si cui mater blandiatur, ita et ego consolabor vos, et ad Ubera portabimini. — Ut sugatis. — Gloria. — Ut sugat.

LECTIO 9.

Memoratio B. V. de Nieva. *Gumpenb. Imag.* 238.

Nieva oppidulum est propè Segoviam in Hispaniâ. Ibi Petro cuidam Opilioni Deipara apparuit, jussitque monere Episcopum, ut suam Iconem in cavernâ latentem erueret, structoque templo honoraret. Paruit Opilio, et Episcopus eo audito, atque solemnî supplicatione indictâ, in locum venit, et Imaginem Deiparæ sub terrâ invenit eo loco, quo rustici fodientium esse monstrabat. Regina Hispaniæ, quæ ipsa locum invisit, templum ære suo extruxit. Inter cætera miracula hoc mirum: ferreos clathros, qui passim per templum arcendo populo facti conspiciuntur, non alio ferro confecti, quàm quod à Virgine liberati captivi formâ figuræque compedum tulere. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

et per Horas antiphonæ.

1. Quis mihi det \* te fratrem meum surgentem Ubera Matris mee, ut inveniam te.

2. Quare seduceris, \* fili mi, ab alienâ et foveris in sinu alterius?

3. Ubera MARIE \* inebriant te omni tempore, et in amore ejus delectare jugiter.

4. Ubera tua virginalia intumuerunt, et Filium Dei lactaverunt.

3. Sub umbrâ \* Matris mee manebis, ut replear ab Ubre consolationis ejus.

CAPITULUM. *Isai.* 11. 8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

HYMNUS 184. *S. Petr. Dam.*

O singularis femina, Sola Virgo puerpera, Præclara vitæ janua, Quâ cæli patent atria.

Est angelorum cibus Tuo lacte nutritus:

Qui mari præbet undas Papillæ sugit guttas.

Geris in sinu prolem, Qui terræ librat molem:

Foves à quo foveris, Servas à quo teris.

Tu solve quod debemus, Averte quod timeamus,

Impetra quod optamus, Perfice quod speramus.

Sit tibi laus Altissime, Qui natus es ex Virgine:

Sit honor ineffabili Patri sanctoque Flumini. Amen.

γ. Deus omnipotens benedicit tibi.

η. Benedictionibus uberum et vultuæ.

Ad Benedicta. *ant.* Beatus venter, qui te portavit, Domine, et beata Ubera, quæ xuxisti.

Oratio.

Domine JESU-Christe, Deus omnipotens, qui gloriosam Virginem Matrem ab æterno predestinasti, et ut tibi intacta et purissima Mater effici mereretur, ab omni labe præservasti, quique non dedignatus es, ut salvum faceres po-

pulum tuum à peccatis eorum, in utero suo concipi, et ejus virgineo lacte nutrirî, concede nobis famulis tuis, beatissimæ Genitricis tuæ auxilium implorantibus, ut quidquid in salutem, Uberum suorum virtute, fidelitèr petimus, efficacitèr consequamur. Qui vivis et reg.

Ad Horas, *Antiph.* Capitul. *Primæ et Oratio de Laudibus, reliqua de Coma.*

γ. η. *br.* Quæ Filium Dei Ubre de cælo pleno lactasti.

CANON.

Ex B. Guilielmo Abbate. *Apud. Chrysogon.* p. 160.

439. Habet pia Mater et spiritualia Ubera, quibus nimirum datum est illi adoptivos fratres filii sui spiritualitèr enutrire, et de his quidem uberibus ejus potest intelligi quod in Proverbiis dicitur de cervâ.

IN II. VESPER.

*Antiph.* et *Hymn.* de *Comm. Capit. de Laudib.*

γ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

η. Inter Ubera mea commorabitur.

Ad *Magnific. ant.* Sancta, casta, et florigera sunt Ubera tua, quæ florem hereditatis perpetuæ eruperunt.

DIE XVII. JAN.

D. V. BARCINONEA. DE MERCEDE.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui hanc beatissimæ Virginis MARIE Effigiem innumerus signis mirabilem effecisti; concede propitiis, ut, ipsâ Sanctâ Virgine interveniente, à captivitate dæmonis liberati, ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dom.

AD MATUTIN.

HYMNUS 185. *Massorilli.*

O quid cæli paritèrque terræ,



Splendidum lumen, boreale sydus,  
Cujus aspectu vada salva tuâ

Puppe secamus.

Navite veeti fragili fagello  
Dum timentifluctus pelagi minantes,  
Te vocant Matrem lacrymis profusis

Terque, quaterque.

Orbis extremis remeans ab oris  
Ad suas sospes peregrinus ædes,  
Perpetes loto tibi, Diva, reddit

Pectore grates.

Facta complexu mulier virili  
Dum timet partus dubii periculum,  
Supplices tendens humilesque palmas

Te pia poscit.

Languidus curas sapiens magistra,  
Pauperes ditas opibus supernis,  
Carcerum cæcos aditus reclusis,

Vincula solvis.

Sildecus summo sine fine Christo,  
Sancta quem Virgo genuit MARIA,  
Qui Patri compar Spiritui Sancto

Regnat in ævum. Amen.

LECT. 1. Noct. de Feriâ.

IN II. NOCT.

**Ex monumentis.** LECTIO 4.  
Barconis percelebre est Marianum  
templum in perenne monumentum  
miraculosa Descensionis Beatissi-  
mæ Virginis ad eam urbem. Divi-  
nitus enim evenit, ut mediâ nocte  
Calendis Augusti anni millesimi du-  
centesimi decimi octavi gloriosissi-  
ma Virgo apparerit Sanctis Rai-  
mundi de Pennafort et Petro No-  
lasco, ac etiam Jacobo primo Ara-  
goniæ rege, eis que significaverit, si-  
bi Filioque suo gratissimum fore, si  
in honorem suum Ordo Religiosorum  
fundaretur à quibus Christiani  
sub durâ barbarorum tyrannide de-  
gentes redimerentur. Cui Templo  
primum ejusdem instituti Ordinis  
cenobium adjunctum fuit. Tu. g.

LECTIO 5.

Imago verò ejus, quæ in templo  
mirificè colitur, formosior est ex tri-  
bus quas Sanctus Petrus Nolasus  
in tanti eventus memoriam sculpe-  
re jussit, similior eidem ab ipso sub  
corpore formâ conspectæ Virginis,  
et prima quam celestis Ordo de  
Mercede veneratus est. Quæ Imago  
post quingentos annos ita pristinum  
usque nunc servavit decorem, ut  
speciositas faciei ejus in nullo nec  
pulvere, nec corruptione, nec aliâ  
quâvis causâ fœdata unquam fuerit:  
tantaque est majestas vultus ejus,  
ut Sanctus Petrus Armengaudus  
eam, in templum ingressus, conspi-  
cians, tactus repentino dolore  
cordis intrinsecus, præterita vitia  
desere cœperit, et illico sublimioris  
perfectionis fundamenta jecerit. Tu. g.

LECTIO 6.

Innumeris quoque signis hæc Sanc-  
tissima Deiparæ Imago semper  
effulsit. Plurimos ipsa rodenit cap-  
tivos. Pluries templum relinquens,  
visa est tempestates maris sedare,  
navigantibusque subsidium oportu-  
num impendere. Solemni pompâ  
per urbem deducta, anno millesimo  
sexcentesimo quinquagesimo  
secundo pesiferam luem dissipavit;  
anno millesimo octogesimo saluta-  
ribus imbris terræ siccitatem le-  
vavit; et septem aliis annis delapsis  
à terribili locustarum plagâ snos  
clientes defendit, ita ut merito ipse  
Sanctus Petrus Armengaudus præ-  
dixerat, hanc Divæ Virginis effigiem  
Barconensibus perflugium, tula-  
men, subsidium, solatiumque sem-  
per futuram, quod novis experi-  
mentis quotidie comprobatur. Tu. g.

IN III. NOCT.

LECTIO 5. Evangelii secundum  
Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies

MARLE, ut pareret. Et peperit Fi-  
lium suum primogenitum. Et reliq.  
Hom. S. Anasiasii Arch. Antioch.

Oratio 2. in Annunt. B. V. M.

Conceptisti absque viri ullâ coitione,  
innupta peperisti; sola Mater simul  
ac Virgo effecta fuisti. Neque enim  
partus virginitatem prohibuit, ne-  
que conceptio integritatem sustulit.  
Inviolatum servasti virginitatis the-  
saurum etiam post partum. Lect. 8.  
Lacte instar infantis eum pavisti,  
qui dat escam omni carni. Sub  
tuam mammam tanquam parvulum  
eum collegisti, qui fontis instar lac  
pueris scaturit, quo illæ parvulus  
alant. Etenim facta est Mater mag-  
ni Dei et Salvatoris nostri JESU-  
Christi. Tu. g.

LECTIO 8. (Lect. 9.)

Adusque te audierunt mulieres in  
tristitibus parietis filios: inque omnes  
ceu hæreditaria quedam successio  
divinum currebat mandatum, in-  
dissolubile manens atque immo-  
tum. A te deinceps audiet femine  
sexus: avete, femine, que gaudii  
principium suscepistis, solam illam  
inter Virgones gratiosam, pul-  
chram, immaculatam, Sanctam  
Dei Genitricem MARIAM. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mindoniensis  
de Remediis.

Mindonii in Galliciâ sub titulo de  
Remediis Deiparæ Sanctissima colitur  
jam à sexto decimo sæculo in  
amplo Sacello, quod eidem eo tem-  
pore erectum, sequenti sæculo  
amplificatum, et tandem anno mil-  
lesimo septingentesimo vigesimo  
octavo à fundamentis in elegantio-  
rem formam per Episcopum Anto-  
nium de Sarmiento constructum  
fuit. Ad Sanctissimam Virginem in  
hoc templo non tantum Mindonien-  
ses in angustiis anxietatibusque  
suis non frustra recurrunt, sed

etiam ex dissitis locis quampluri-  
mi fideles quolibet anni tempore,  
et protectionis obtentæ testimonia  
secum semper reportant. Tu.

Te Matrem.

Ad Benedic. ant. Salutate MA-  
RIAM que multum laboravit in vo-  
bis, et dicitur: Ave clementia Mater,  
Consolatrix afflictorum, Redemptrix  
captivorum: Tu gloria Jeru-  
salem, tu lætitia Israel, tu honorifi-  
centia populi nostri.

Vesperæ à caput. sequentis.

DIE XVIII. JAN.

MANSION. B. MARIE V. IN  
BETHLEEM.

Duplex.

LECT. 1. Noct. de ferid occur.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Bonaventuræ Ep.  
in Meditatione viæ Christi. cap. 10.

LECTIO 4.

Expeditis Magis, et versus patriam  
suam regressis, et totis eorum obla-  
tionibus erogatis, adhuc stat Domi-  
na muniti cum puero JESU, et nu-  
tritore suo sancto sene JOSEPH  
apud præsep, in illo locello pa-  
tienter usque ad quodagesimum  
diem, ac si esset quedam mulier  
alia de populo, et puer JESUS esset  
homo purus, et indigeret legis ob-  
servatione. Sed quia volebant præ-  
rogativas singulares, legem obser-  
vabant, ut cæteri. Tu. g.

LECTIO 5.

Sabat ergò Domina more aliarum,  
dictum diem expectans, ingressura  
templum. Sabat vigilans et attenta  
super custodia dilecti Filii sui. O  
Deus, cum quantâ sollicitudine et  
diligentiâ ipsum gubernabat, ne in  
minimo esset dejectus! Cum quan-  
tâ etiam reverentiâ et cauteliâ, et  
quo timore ipsum contractabat, et  
quem sciebat esse Deum suum, et



Domini suum, et flexis genibus accipiebat, et ponebat eum in cunis. Cum quantâ etiâ iunctunditate, et confidentiâ, et auctoritate maternâ ipsum amplexabatur, strangebatur dulciter, et delectabatur in eo, quem sciebat esse Filium suum. Tu. ꝯ.

## LECTIO 6.

Quâm sæpè curiosè intuebatur eum in vultu, et singulis partibus ejus sacratissimi corporis: quâm seriôsè ac prudenter tenella membra fasciâ componebat. Sicut enim fuit humillima, sic fuit et prudentissima: undè in singulis officiis, et obsequiis vigilantè et durmientè sedulè ministrabat, non solum infanti sed grandævô. O quâm libenter eum lactabat! Vix fieri potuit, quin magnam etiâ aliis feminis inexpertam dulcedinem in talis filii lactatione sentiret. Tu. ꝯ.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIE ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Cypriani Ep. et Martyris.

## De Nativitate Christi.

Veniunt in Bethleem: quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel: civitas parvula, domus pauperula, supplex exigua. Nulla domus ambitio, ubi reclinatorium in stabulo. Mater in feno, Filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium; hujusmodi habet delicias sacre Virginis puerperium. Panniculi pro purpurâ, pro bysso in ornatu regio laciniae congeruntur; genitrix est, et obstetrix, et devotam dilectæ soboli ipsa exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oscu-

la, porrigit mammam. Totum negotium plenum gaudio: nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Tu. ꝯ.

## LECTIO 8.

Nec locus ibi erat lavacris, quæ solent puerperis præparari, quæ nec aliqua naturæ injuria Matrem Domini læserat; quoniâ sine tormento peperit, quæ in conceptione caruit voluptate, et tamen consuetudinem sequens ut legi satisfaceret, quasi cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, et depositi oneris lassitudinem professa, oblata quieti paruit: et in diebus separationis non se à thoro JOSEPH, qui eam nunquam tetigit, sed ab ingressu templi, et cæteris, quæ lex prohibebat, continuit: ultrò maturus ab arbore bajula fructus elapsus est: nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat. Tu. ꝯ.

## LECTIO 9.

Nihil in hæc re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit penarum usuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale extinctum est: ideòque innoxiam affligi non decuit: nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lacereretur injuriis: quoniâ plurimum à cæteris differens, naturâ communicabat non culpâ. Eratque et proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat simul Mater et Virgo singulis titulis insignita. Undè et Matrè plenitudo gratiæ debebatur, et Virgini abundantior gloria: quæ carnis et mentis integritate insignis, spirituali et corporali intus et extrâ Christi præsentia fruebatur. Tu.

Cum 2. Vesper.

## S. M. IN VIA LATA.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de Ferid.

## IN II. NOCT.

## LECTIO 4.

Spinelli de festis et templ. Deip. Sancta MARIA in Viâ latâ inter præcipuas est Cardinalium diaconias, ubi hospitium olim fuit Sancti Pauli Apostoli, ejus habitatione, ac rebus ibidem gestis clarissimum: in hoc siquidem suo conducto idem Apostolus propter Christi confessionem catenâ circumdatus cum custodiente se milite, omnibus ad se audentibus prædicabat regnum Dei, et Christi fidem. Tu. ꝯ.

## LECTIO 5.

Ibidem complures dedit Epistolas, ad Ephesios, ad Philippenses, secundam ad Timotheum, ad Philemonem, in quibus suorum vinculorum meminit: item Epistola ad Hebræos: quin etiâ Dominus suâ visitatione et confortatione hoc in loco eum dignatus est adjuvare; nam secunda ad Timotheum agens de hæc primâ suâ defensione: Dominus, inquit, mihi assistit, et confortavit me. De hoc Sancti Pauli Hospitio in Sanctâ MARIA in Viâ latâ extat ibi memoria in lapide exarata. Tu. ꝯ.

## LECTIO 6.

Ibidem quoque Sanctus Lucas Evangelista, individuus Actuum Apostolorum, quæ ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, conscripsisse existimatur. In hujus templi summo altari Imago Deiparæ, quæ annulum gestat in digito, à Sancto Lucâ depicta, gloriosè aservatur. Tu. ꝯ.

Homil. de coma. pro Semiduplex.

Commemoratio B. V. Olyssiponen-sis de Bethleem.

Balingh. sub die 13. Decembr. Emmanuel, Lusitania Rex Adem Virginis Deiparæ à Bethleem magnifico auxit ejusdem nominis templo extracto in ipso aditu portus Olyssiponen-sis, velut indicæ conquestionis et orientalia victoriarum throno: In ejus structuram templi Virginei dum opera duravere, hostilis prædæ partem, quæ ad se pertinebat, liberalitèr impendit. Eidem templo varios redditus, et prædia assignavit, aique ad ejus custodiam monachos Hieronymianos accersivit, iis edificatio monasterio. Deniquè è regione cœnobii propugnaculum Sancti Vincentii condidit, ut fluminis ostium, ac Virginis templum ab hostibus undequaque tutaretur. Tu. Te Matrem.

Cum secunda Vesper.

## DIE XX. JAN.

## B. V. M. DE NUMSMATE.

Simplex.

Lectio 1. de Script. serm. occur.

Ex monumentis. LECTIO 2.

Romæ in Ecclesiâ Minimorum Sancti Andree de fratribus non exiguum accipit cultum Imago Beate Virginis de Numsmate in stupendi miraculi memoriam, quod ibidem ipsa Deipara patrare dignata est hæc die, anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo in conversione juvenis Hebræi in judaicâ pravitate obstinatissimi ad catholicam fidem. Quam Imaginem in tantæ gratiæ monumentum ipse depingi curavit et eo reponi altari, quo ei Deipara apparuit. Tu. ꝯ.

## LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Lilybætanæ. Octav. Cajet. de effig. siculis. Anno millesimo quingentesimo de-



cimo oclavo, decimo tertio Kalendarum Februarii inventa fuit Lilybaei Imago divae Virginis intra ingens saxum, quod magno cum labore fuit pertractum. Simulacrum erat marmoreum, unius palmi statura, basis parvula sub pedes, vestis aureis notis distincta, Puerum in ulnis gestabat, qui manibus pectus ac cervicem sanctissimae Matris contrectabat eamque divinis oculis intuebatur. Universus populus indicibili devotione ad venerandam Beatam Virginem concurrens, atque ipsa Virgo sua dona cunctis imperit. Tu. Te Matrem.

## CANON.

Ex Decreto R-manae Curiae.  
3. Jun. 1842.

460. Dominus Cardinalis in Urbe Vicarius... dixit, pronuntiavit, et definitivè declaravit, plenè constare de vero insignie miraculo à Deo Omnipotenti Maximo, intercedente Beata MARIA Virgine, patrato, videlicet instantaneae perfectæ conversionis Alphonsi MARIE Ratisbonæ ab hebraismo. Tu. *Vesperæ de sequenti.*

## DIE XXI. JAN.

## IN LACTATIONE PUERI JESU.

## Duplex.

*Officium fit ut in die SS. Uberum.*  
B. M. V. 16. Jan. p. 331.

## Oratio.

Deus, qui de Beatae Virginis utero Verbum tuum carnem suscipere voluisti, ut nos redimeret de potestate diaboli: concede propitius, ut ejus, quam ipsum lactationem veneramus in terris, benedictionibus dulcedinis repleamur in caelis. Per eundem.

## AD MATUTIN.

HYMNUS 186. *Brev. Rom.*  
O gloriosa Virgine,

Sublimis inter sidera,  
Qui te creavit, parvulum  
Lactente nutris ubere  
Quod Eva tristis abstulit,  
Tu reddis almo germine:  
Intrent ut astra lebetes,  
Cæli recludis cardines.  
Tu Regis alii janua,  
Et aula lucis fulgida:  
Vitam datam per Virginem,  
Gentes redeam p laudite.  
JESU, tibi sit gloria, etc.

*Lectio. 1. Noct. et vig. ut in eod. die.*

## IN II. NOCT.

Sermo S. Petri Damiani Ep.  
*In Nativitate Domini.*

## LECTIO 4.

Quis enim dignè mirari valeat? Quis non obstupescat, quòd is qui cæli immensitate non capitur, in angusto præsepio reclinetur. Qui marium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus subministrat, ratas de virgineo pectore guttas expectat. Exprobat lac ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris. Tu. g.

## LECTIO 5.

Felix ista Puerpera, quæ sic gaudet de fecunditate prolis, ut nequaquam doleat de amissione Virginitatis: quæ illum fovebat à quo fovebatur: illum in ulnis gestabat, à quo totius mundi machina continetur. Stringitur à Matre puerilibus fasciis infantulus, qui cum Patre omnium vera jura gubernat immensus. Tu. g.

## LECTIO 6.

Deus pendet ab uberibus, ponitur in præsepio, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciis, felices manus et sancta brachiola per curam parvitalæ expandit. Aludat Virgini, Matri arriedit, et blan-

dientes oculos ad MARIAM intoret. Slat perterrita tantis miraculis Regina cælorum, confert in corde suo salutationem arcangeli, conceptionem Dei, nativitatem Pueri, et miratur, quòd ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Tu. g.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: impleti sunt dies MARIE, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliqua.

Homilia S. Amadei Ep. Lausan.

*De Laudib. B. V. Hom. 4.*

Cum igitur Virgo Natum repromissum edidisset, diem ex die, in diem nostrum peperisset, conversa ad Deum toto corde vocem gratiarum et laudis suæ auditam fecit in excelso: obtulit acceptum laborum sacrificium, et hostiam jubilationis immolavit, et dedit holocausta cordis pacifica, et thus odoris suavissimi in incensum Domini adolevit. Accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, sensitque ignem aquis inextinguibilem: suscepit in testà carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, et Verbum universa portans portare meruit inter brachia. Tu. g.

## LECTIO 8.

Repleta igitur scientià Domini velut aqua maris inundantis, rapitur extra se, et mente sursum elevata, altissimà cogitatione defigitur. Miratur se Virginem assumptam in Matrem, et Dei Genitricem se lata miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, et Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, et

ortum ejus votis omnibus respectabant. Tu. g.

## LECTIO 9.

Videt Dei Filium sibi commendatum, et mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, et in se loquentem Dominum Deum: ecce elegi te ex omni carne, et inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendavi tibi Filium meum, commisi tibi unicum meum. Noli timere, lactare, quem peperisti, agnosce non solum Deum, sed et Filium. Filius meus est, Filius tuus est. Filius meus ex divinitate, Filius tuus ex assumptà humanitate. Quo igitur affectu et studio, quâ humilitate et reverentiâ, quâ dilectione et devotione ile experit, hominibus incognitum est, et Deo cognitum, qui rerum et cordium esse scrutator, Deo cognitum, qui spirituum ponderator est. Tu. Te Matrem.

*Ad Laudes et Horas, ut in eod. die.*

*Cum 2. Vesperis.*

## DIE XXII. JAN.

## D. V. ERVORDIENSIS DE CRUCE.

## Simplex.

## LECTIO 1.

*Campenberg, Inag. 597.*

Ervordio in Germania superiore cum circa annum millesimum à Christo nato Sanctimonialium Monasterium, quod ibi est, templo careret, quia id funditus destructum fuerat, et piæ Virgines maximè de novo templo extruendo angustiantur, dignata est Deipara afflicto pauperi apparere, et primum terrorem suavi afflatu pellens, vade, inquit, et Abbatisse meo nomine nuntia, curam edificii deponat: locus in quo me vides, ille est, quem elegi,



## LECTIO 2.

Cum autem pauper ad hanc visionem adhuc trepidaret, et ad suæ legationis veritatem confirmandam signum aliquod suppliciter expeiret: hoc erit tibi signum, ait Virgo, quod nullus illatæ penæ, si quam tibi inferant, dolor, nec cicatricis quidem ullius te contingat aliqua molestia. En etiã aliud signum: fac crucem ex tuo baculo, et pone in vestigiis meis, quia super eandem in columbæ specie me sedere videbunt. Ab Abbatissâ accepto nuntio, et advocato Episcopo, ipse pauper examinatur, sed nullum dolorem sentit. Et, inventâ columbâ super crucem sedere, maximâ omnium devotione Basilica fabricatur, et nomen à Sanctâ Cruce sortitur. Tu. ꝑ.

## LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Sortinensis.

*Octav. Cajet. de Effig. Siculis.*

Imago Deiparæ in tabulâ depicta, quæ in æde Annuntiatæ Virginis non procul à Sortino in Sicilia asservabatur, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo, die decimâ quintâ Octobris exrescentibus insolito modo aquis fluvii, qui propè ædem profuiebat, ipsa æde dirutâ inier reliqua saxa, quæ à flumine devolvabantur, è templo extracta est, et aquarum decursu usque ad litus Siracusium intacta pervenit. Post dies tres ibi inventa, cum magnâ omnium pompâ Effigies ad oppidum relata fuit, et in templum Sancti Nicolai locata, donec magnificentius templum propè pristinum locum extrueretur, in quo reposita postea fuit. Tu.

Te Malrem.

*Vesperæ de sequent.*

## DESponsationis B. M. V.

*Duplex 1. Classis.*

## IN I. VESP.

*Ant. 1.* Quid faciemus Sorori nostræ in die, quandò alloquenda est? *Psalmus in 1. Vesper. Solemn.*

2. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.

3. Si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis.

4. Ego murus, et ubera mea sicut turris.

5. Ego illa orientalis porta, quæ non aperietur, sed semper erit clausa.

**CAPITULUM. Gen. 24. 57.**  
Vocemus Puellam, et queramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitanti sunt: vis ire cum homine isto? Quæ ait: vadam.

ꝑ. O sanctam et admirabile sancti Conjugii Sacramentum! O excellentia pietatis! \* MARIA nobilis adolescentula, Deo jubente, viro desponsatur, et perpetuò intacta permanet. ꝑ. A sæculo non est auditum, quod fecit Dominus novum super terram.—MARIA.—Gloria.—O Sanctum.

HYMNUS 187. *Salla.*

Reginæ Angelicæ connubialia,  
Orsus connubium, del recolentibus,  
Plastes, hortio in eò,  
Digno pangere carmine.

Det, qui congenerum visus  
amantium

Cœtus floriferæ subdere virgulas,  
JOSEPHUMque Beatum  
Densis promere plausibus,

Qui felix nimium! sicca videlicet  
In cuius manibus virgula floruit,  
Dignandumque MARIA  
Illum conjuge prodidit.

Et florens mediâ nullâ ope terræ,  
Sponsæ virginicæ nullâ ope masculâ  
Dio flore apud ipsum  
Fecundæ typus exilit.

Flore illo. recino cuius aromate  
Humani fuerit terra piaculi  
Expurganda mephiti,  
Cœli ac aula beabilis.

Qui felix iterum! quippe theandricâ

Qui custos sociæ Prole puerperæ  
Convictus utriusque  
Tutelæque sategerit.

Unus Virgineo qui Deus annulo  
Jessæ socias stirpe propaginem  
JOSEPH atque MARIAM,  
Lauderis, Sacra Trinitas. Amen.

ꝑ. Desponsatio est hodiè Sanctæ  
MARLE Virginis.

ꝑ. Cuius vita inelyta cunctas  
illustrat Ecclesias.

*Ad Magnif. ant.* Purissimum  
MARLE conjugium colit pia Religio,  
in quo Ecclesia Sponsa Christi figuratur,  
non habens maculam,  
neque rugam.

*Completor. de Dominic.*

## AD MATUTIN.

*Invitator.* Desponsationem Beatæ  
Virginis MARLE cum Sancto JOSEPH  
celebrantes, Venite, adoremus  
Dominum.

**HYMNUS 188. Brev. Antig.**  
Diva, quæ cælo residens olympo,  
Aureo dextram decorata sceptro,  
Dæmonem terras, æreque omnes,  
Protegis orbem.

Hanc tibi lucem meritò dicamus,  
Quâ Dei nulu sacra nuptiarum  
Jura sumpisti retinens decorem  
Virginitatis.

Hunc diem civis celebrant superni:  
Hunc diem læti venerantur omnes,  
Et sibi plaudunt, tibi lotus uni  
Militat orbis.

Præbeas aures igitur, benigna,  
Supplicum sacris precibus tuorum,  
Et læcessiti vilio, Tonantis

Pectora placa.  
Nec sinas unquam rogilemus  
omnes

Omnibus vitam fragilem tueri,  
Cujus à cursu mereamur aulam  
Scandere cœli.

Et quibus virtus Deitatis una  
Sit Patri, Nato, pariter supremo  
Flamini toto celebrata semper  
Gloria Mundo. Amen.

## IN I. NOCT.

*Ant. 1.* Erat Puella decora nimis,  
Virgoque pulcherrima, et incognita viro.

*Psalmi de Domin.*

2. Erat eleganti aspectu, et in omnibus famosissima.

3. Omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur.

ꝑ. Ista est speciosa. ꝑ. Inter filias  
Jerusalem.

De libro Ecclesiastici.

## LECTIO 1. c. 26. 1.

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implevit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis: divitis autem et pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris. Tu.

ꝑ. Mulierem fortem quis inveniet? Procul è de ultimis finibus pretium ejus. ꝑ. Invenit eam justus JOSEPH, posuit in eâ cor suum, et spoliis non indigebit.—Procul.

## LECTIO 2.

Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est. Mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam mulier sancta et



puriora. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Tu.

¶ Hodè nobis Mater Ecclesie Desponsationem Virginis MARLE celebrandam proponit: \* Ubi ejus virtus tam digna apparet, ut mundum universum in stuporem convertat. †. Totà nos animi devotione divini Conjugii fœdus, et sacramentum recolere studeamus.—Ubi.

## LECTIO 3.

Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum donis ejus. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super altatem stabilem. Columna aurea super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna supra petram solidam, et mandata Dei in corde mulieris sanctæ. Tu.

¶ Qui invenerit mulierem bonam, inveniet bonum: \* Procul et de ultimis finibus pretium ejus. †. Gaudeat JOSEPH, qui solus invenit in mulieribus benedictam.—Procul.—Gloria.—Qui.

## IN II. NOCT.

Ant. 1. Hodè desponsata est sacra Virgo MARIA, ex progenie David cum justo JOSEPH.

2. Exaudita sunt preces amorum in conspectu gloriæ summi Dei.

3. Benedicimus te, Domine Deus Israel, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam.

†. Tota pulchra es. MARIA.

¶. Et macula non est in te.

## LECTIO 4.

Ex Brev. Roman. antiq. Venet. 1557.

Quamplurimos virtutis actus ad humanæ redemptionis mysterium divinâ ordinatione dispositos legimus

à beatâ Dei Genitrice MARIA naviter fuisse perfectos, inter quos conjugale Sacramentum, quod ipsa cœlesti nutu mihi, non minimum quidem excellentiæ opus diducari debet. Quis enim est, qui mentem habeat, et non admiretur, dum sibi ponit ob oculos, et considerat ingenuam hanc Adolescentulam, dum ex lege nubere cogitur, et Deo virginitalatem voverit, tam strennè et prudenter se habere, ut nec Deo, nec viro suo mentiatur? Deo quidem, dum illi fideliter servat, quod promittit: viro autem, dum in casto ejus et sancto vultu amore convivere, quod ad meram matrimonii rationem sufficere, nullus est vel mediocriter gnarus, qui non asserat. Tu.

¶. Induit me vestimentis salutis, \* Et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam coronâ. †. Annulo suo subharravit me, et zonâ circumcinxit me quasi sponsam ornatam monilibus suis.—Et.

## LECTIO 5.

Verum cum tot sint hujus Connubii gemmæ, tot laureolæ, tot coronæ, tot denique præclara insignia, tamè incipiendum sit, haud satis exploratum habemus. Attamen quod prius menti occurrit, est ipsa conjugalis institutio, quàm maximè commendabilis: non enim ab homine aliquo facta, sed ab Omnipotentis Deo, à quo omnia quæ sunt, divinâ scilicet sapientiâ disposita. Idcirco licet Beata Virgo in partu suo sanctissimo humano semine non indigeret, summâ tamen ratione voluit Deus, ut viro desponderetur, et legi matrimoniali esset addicta, quemadmodum Hieronymus, Ambrosius, et Origenes aperitè declarant. Proindè liquidò ap-

paret, MARLE connubium, Deo auctore peractum, cæterorum omnium conjugia et dignitate et gloriâ præstare. Tu.

¶. Magno mysterio nobis hodiè illibata Virginis Connubium proponitur: \* Quia Sacramentum hoc magnum est, videlicet in Christo et Ecclesiâ. †. Desponsationem Beatæ Virginis celebrantes memores sinus per charitatem Deo adherere.—Quia.

## LECTIO 6.

Neque huic etiàm tam mirificæ excellentiæ modicum postmodum laudem, et ornamentum accumulatum generis nobilitas. Hæc siquidem maxima in utroque Conjugio fuisse probatur. Ubi si rectè perspicere voverimus, hoc nobis proculdubio constabit, quòd diva Virgo MARIA et JOSEPH ex unâ eademque tribu originem ducentes, insignem totius nobilitatis gloriâ adepti, regnum omnium filios ac filias hujusmodi progenitorum claritate præcellerint. Sed quia tenuis est ac frivola, atque illaudata carnis nobilitas, cui virtus non fuit comes, propterea cum ipse rerum omnium moderator Deus, cujus perfecta sunt opera, matrimonium MARLE et JOSEPH peculiari quâdam consilii sui ratione instituerit, haud dubium est, quin illis ab infinitâ suâ sapientiâ provisum sic fuerit, ut non etiàm hujuscemodi præcipuo animæ ornatu carerent. Tu.

¶. Tu scis Domine, quia nunquam concepivi virum, \* Et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. †. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine meâ consensu suscipere.—Et mundam.—Gloria.—Tu scis.

## IN III. NOCT.

Ant. 1. Hæc est, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum

in respectione animarum sanctarum.

2. Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcicia cantica dramatis.

3. Dei nutu intacta semper Virgo viro nupsit.

†. Dilectus meus mihi.

¶. Et ego dilecto meo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

## LECTIO 7. c. 1. 18.

In illo tempore: Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus.

Oportebat à principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum: non quòd Deus, si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo crederet; sed quia ipse, qui non solum poterit, sed etiàm sapienter, quacumque voluit, fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consueverit: ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostrâ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam; sed et prudentiam ostendere voluit. Tu.

¶. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjugat vos, impleteque benedictionem suam in vobis: \* Et acceptâ charitâ fecerunt conscriptionem conjugii. †. Quod Deus conjunxit, homo non separet.—Et. Bened. Cujus Desponsationem.

## LECTIO 8.

Conveniens ergò erat, ut suaviter quòquæ omnia cœlestia scilicet, et terrena disponeret; quatenus sit



illinc deiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: et hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderate sapientia, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Tu.

¶ At te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo: \* Quia nunquam concipivi virum, et mundam servavi semper animam meam. ¶ Miserere nobis Domine, miserere nobis, et concrecamus ambò pariter sani.—Quia.

## LECTIO 9.

Quid enim prodesset diabolum à Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessariò igitur desponsata est MARIA JOSEPH, quando per hoc et à canibus sanctum absconditur, et à Sponso virginitas comprobatur et Virginis tam verecundia pareitur, quam famæ providetur. Quid sapientius! Quid dignius divinà providentiâ. Uno tali consilio secretis celestibus et admittitur testis, et excolitur hostis, et integra servatur fama Virginis Matris. Tu.

¶ O Sanctum et admirabile sancti Conjugii Sacramentum! O excellentia pietatis! MARIA nobilis adolescentula, Deo jubente, viro desponsatur, et perpetuò intacta permanet. ¶ A seculo non est auditum, quod fecit Dominus novum super terram.—MARIA.—Gloria.—O Sanctum.

Te Matrem.

## AD LAUDES

et per Horas antiphona.

1. Jacob genuit \* JOSEPH virum MARLE de qua natus est JESUS. *Psalmi de Domin.*

2. Cum esset \* desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, inven-

ta est in utero habens de Spiritu Sancto.

3. JOSEPH \* fili David, noli timere accipere MARIAM conjugem tuam.

4. Exurgens JOSEPH à somno accepit Conjugem suam.

5. JOSEPH \* vir ejus, cum esset justus, noluit eam traducere, sed occultè dimittere.

## CAPITULUM. Gen. 24. 37.

Vocemus Puellam, et queramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitanti sunt: vis ire cum homine isto? Quæ ait: vadam.

## HYMNUS 189. Salla.

Ergò hoc Connubium plaudite, cultites:

Horum, terricolæ, plaudite et æmuli:

Cunctis concelebrandum est, Quosquos æquipar atlinet.

Unus virgineo qui Deus annulo Jessedâ socias stirpe propaginem JOSEPH atque MARIAM,

Lauderis, sacra Trinitas. Amen.

¶ Diffusa est gratia in labiis tuis.

¶ Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedict. ant. Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH de domo David: et nomen Virginis MARIA.

## Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii tui Genitricem MARIAM, ut virginalis partus ejus viri honestaretur consortio, JOSEPH viro justo desponsari voluisti: da nobis, quæsumus, tanti Conjugii mysterium dignè celebrare in terris, et celestium participes fieri nuptiarum. Per eum d.

## AD PRIMAM.

Ant. Jacob. *Capitul.* Vocemus, de Laudibus.

¶. ¶. br. Quæ justo JOSEPH desponsata fuisti.

## CANON.

Ex Decreto S. Rituum Congreg.

5. Maj. 1736. in *Einsiden.*—*Tabu* 997.

461. In Desponsatione Beatæ MARLE Virginis non est faciendâ Commemoratio Sancti JOSEPH, nisi constet de speciali concessione. Tu.

## AD TERTIAM.

CAPITULUM. Gen. 24. v. 39.

Dimiserunt ergò eam, imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

¶. br. Benedicentur \* In semine tuo.—Benedicentur. ¶. Omnes gentes terræ.—In.—Gloria.—Benedicentur.

¶. In omni gente quæ audierit nomen tuum.

¶. Magnificabitur super te Deus Israel.

## AD SEXTAM.

CAPITULUM. Gen. 49. 22.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filie discurrerunt super murtum.

¶. br. Mulieris bonæ \* Beatus vir.—Mulieris.

¶ Numerus annorum illius duplex.—Beatus.—Gloria.—Mulieris. ¶. Non est talis mulier super terram.

¶. In aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum.

## AD NONAM.

CAPITULUM. *Isai.* 62. 5.

Habitabit juvenis cum Virgine, et gaudebit Sponsus super Sponsam, et gaudebit super te Deus tuus.

¶. br. Erat præclarior mulier \* Universæ terræ.—Erat. ¶. Erat

etiàm virtuti castitas adjuncta.—Universæ.—Gloria.—Erat.

¶. Hæc est speciosior sole.

¶. Et super omnem dispositionem stellarum.

## IN II. VESPER.

Ant. 1. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia. *Psalm. de Solemn.*

2. Lava ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

3. Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

4. Ecce tu pulchra es, dilecte mi, et decorus.

5. Deus pacis vobiscum sit, impleatque benedictionem suam in vobis.

*Capitul. et Resp. de 1. Vesperis.*

HYMNUS 190. *Br. Rom.*

Te JOSEPH, celebrent agmina cælitum,

Te cuncti resonent Christianum chori,

Qui clarus meritis junctus es inclytæ

Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam gormine Conjugem

Admirans, dubio tangeris anxius, Afflatu superi Flamini Angelus

Conceptum Puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exleras

Ægypti profugum tu sequeris plagas;

Amissum Solymis quæris et invenis, Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia conserat,

Palmamque emeritos gloria suscipit; Tu vivens, Superis par, frueris Deo,

Mira sorte beator.

Nobis, summa Trias, parce precantibus,

Da JOSEPH meritis sidera scandere:



Ut tandem liceat nos tibi perpetui  
Gratum promere canticum. Am.  
¶ Forti animo esto, Virgo MA-  
RIA.

¶ Dominus cœli dedit tibi gaudium.

Ad Magnif. ant. Salve Sancta Pa-  
rens, cui sacro federe nupsit virgo  
JOSEPH, sine quo tu Virgo Deum  
peperisti.

*Oratio de Laudibus.  
Completor. de Dominicâ.*

DIE XXIV. JAN.

**DESCENSIONIS B. M. V.**

*Duplex.*

AD MATUTIN.

HYMNUS 191. *Comminu.*

Virgo bis Nati Genitrix Theandri,  
Seu triumphalis superæ Sionis  
Porta, seu mavis cynosura diei  
Mistica, salve.

Quam tibi dixit Gabriel salutem  
Dicimus: tu nos, Bona, santis Evæ  
Pace donatam, meliorem prolem  
Nomine dona.

Deme, quas soutes patimur ca-  
tenas,

Et diem cæcis, oculosque reddo:  
Nos malis fractos releva; bonisque  
Omnibus auge.

Patris ac Nati recinendo laudes,  
Mutuum linguæ celebrent amorem:  
Omnis et mundi plaga tres in uno  
Numine adoret. Amen.

*Lect. I. Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

*Cum officio propr. Eccles. Toletanæ.*  
Cum Beatus Hildephonsus Toletanæ  
Ecclesiæ Archiepiscopus, hæreticos  
quosdam perpetuam Dei Matris Vir-  
ginitatem labefactare conantes, vi  
veritatis conjunctos ex universâ His-  
paniâ depulisset, tanta fuit Sacratissimæ  
Virginis in servum suum Hildephonsum  
benignitas, ut hoc ejus

studium illi miraculo compro-  
bavit. Incarnationis enim Filii ejus  
festo qui die decimo quinto Calendas  
Januarii per universam Hispaniam  
ex decimi Concilii Toletani decreto  
celebratur, nocte intempestâ de-  
scendit de cœlo Sanctissima Virgo,  
Virginum et Angelorum comitata  
choris: et in chædrâ, undè Hildephonsus  
ad populum verba facere  
consueverat, consedit, universo  
templo suavissimâ ineffabilis odoris  
fragrantia et cœlestis luminis mag-  
nitudine completo. Tu. ¶.

LECTIO 5.

Quò Hildephonsus ad nocturnas pre-  
ces de more veniens, comitibus per-  
territis, et pavore dilapsis, ipse rei  
quidem novitate initio percussus,  
sed deinde spe erectus, et devotæ  
mentis humilitate securus, gaudio  
simul ac reverentiâ tremens humi  
sese ante pedes Virginis supplex ab-  
jecit. Quem sic affata Virgo est:  
propera in occursum meum, serve  
Dei: accipe munusculum de manu  
meâ, quod de thesauris Filii mei tibi  
attuli. Et simul hæc dicens, ve-  
stium Hildephonso induit cœlesti opif-  
icio contextam. Et Virgo quidem  
his diebus rediit in cœlum. Hildephonsus  
verò et mirificâ visione  
plenus, et pretioso dono fuit cunctis  
deinceps ordinibus ac gentibus ve-  
nerandus. Quo quidem dono in so-  
lemnioribus Beate MARIE Virgini-  
s sacris interdum usus est. Tu. ¶.

LECTIO 6.

Exlat hoc ipso in Templo lapis, in  
quo vetustâ majorum traditione ac  
veneratione constat, MARIAM de-  
scendentem vestigio consiluisse. At  
que ut hujus tanti beneficii memori-  
am nullâ unquam injuriâ temporum  
oblivio deleret, Toletana Ecclesia  
in stemmatibus suis atque insigni-  
bus illum ubique representat. Annuum  
præterea celebritatem ad

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Canodiensis.

*Gump. Im. 684.*

Circa annum Christi millesimum  
quadagesimum Sanctus Gerardus  
Episcopus Canodii in Hungariâ  
Templum Sancto Georgio Martyri  
adificavit, et in hoc sacellum pro  
Deiparâ. Statua, quam in eo collo-  
cavit, beneficia præstabat populis,  
quam ob causam cultu novo eam  
prosecutus est Sanctus Episcopus.  
Thuribulum enim argenteum col-  
locavit ante altare, quod semper  
ardet et carbonibus ignitis: et ut  
nunquam ullâ horâ diu noctuque  
thymiam deesset, duos proveciæ  
alatis viros mutatis vicibus semper  
adesse voluit, qui vigilarent, et  
thura semper injicerent. Hinc sacra  
æ Imaginis cultus adhuc magis  
crevit, et miraculis pluribus via  
aperta est. Tu.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad  
turbas, extollens vocem quadam  
mulier de turbâ, dixit illi: Beatus  
venter qui te portavit. Et reliqua.  
Homilia Sancti Hildephonsi Arch.  
Toletani.

*Serm. 4. de Assumpt. B. V.*

Quem totus non capit orbis, in suâ  
sacrâ alvo hæc Virgo inclusit. Qui  
mundum pugillo continet, eum  
beatissima Virgo pannis involvit: et  
qui presentia majestatis suæ in  
cœlis angelos pascit, Virgo hunc  
sacerato ubere Matris aluit lacte.  
Lect. 8. Et insuper ad ejus arbitrium  
totus orbis terrarum regitur,  
hujus gloriosæ Virginis uberibus  
Conditor mundi Infans nutritur.  
Tu. ¶.

*Bened. Cujus Descensionem.*

LECTIO 8.

Et sub cuius defensione protegun-  
tur regna terrarum, cum ipso Virgo  
MARIA fugit in Ægyptum.  
Lect. 9. Et qui totum mundum  
quasi in statera suspensum tenet,  
in cruce confixum Virgo MARIA  
cernens aspexit. Qui presentia ma-  
jestatis è cœlis nunquam defuit;  
ascendentem etiâ in cœlum oculis  
propriis contemplata esse Virgo MA-  
RIA creditur. Tu. ¶.

CANON.

Ex Concilio Toletano apud Pen-  
nam-fidelem.

An. 1302. c. 11.—*Labb. Tom. 7.  
col. 1256.*

462. Mater Veritatis et Salvatoris  
nostri Domini JESU—Christi glorio-  
sa ac semper Virgo MARIA Capel-  
lanum ac suæ Virginitatis specia-



lem Præconem, Beatum Hildephonsum, patriarchalis Tolotanae Ecclesiae Præsulem ac Rectorem, post sui assumptionem descendens de caelo Emyreo corporaliter visitavit, ac donis et muneribus specialibus decoravit in signum specialis dilectionis et amoris. Tu.

*Cum 2. Vesperis.*

DIE XXVI. JAN.

**B. M. V. TITULO MATRIS LUCIS.**

*Duplex.*

*Lect. 1. Noct. de Ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.  
*Concion. de Concept. B. V. M.*

LECTIO 4.

De Virgine possunt verificari verba Ecclesiastici: Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens. Tres conditiones luminis. Prima, quod sit prima creaturarum. In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Sanctissima Virgo prima est dignitate: Anselmus: nihil, ait, tibi Domina, æquale, nihil comparabile: omne enim quod est, aut supra te, Deus est. Quod infra te est, omne, id est, quod Deus non est. Sanctus Thomas: habet, inquam, aliquam infinitalem. In omni populo, et in omni gente primatum habui. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Secunda conditio lucis: est pulcherrima creaturarum corporali-um. Nam sine illa, nihil est pulchrum, et sunt tetra omnia. Bernardus: Tolle solem, et quid manebit nisi tenebrae: Tolle MARIAM, et quid nisi obscuritas, et obnubilatio animi? Sponsus: ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. Pulchra pulchritudine

innocentiae; pulchra pulchritudine gratiae: pulchra corpore, pulchra mente. Præclaris his dotibus tanquam gemmis et stellis Virgo regia ornata est. Sicut enim sol universa caeli lumina præcellit prærogativa claritatis eximiae; sic MARIA totam rationalem creaturam post Filium præcellit splendore et pulchritudine virtutis et gratiae. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Tertia conditio luminis. Est universalis totum occupans. Ambrosius in Exameron: Non est facta in pondere et mensurâ. Virgo: Omnibus dedit, omnia replevit. Et quemadmodum Sol iustitiæ Christus Deus nosler oriri facit lumen suum super bonos et malos: sic lumen indeficiens Virgo Sacratissima, radios evibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet: omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Bernardus: omnia facta est... ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio 8. Evangelii secundum Joannem.

LECTIO 7. c. 8. 12.

In illo tempore: Dixit JESUS Pharisæis: Ego sum lux mundi: Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii Episcopi.

*Do Laudib. B. V. Sermo.*

O Virgo Sancta, lucis aeternae Mater! Lucis, inquam, quae in caelis illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum: lucis, quae illuminat solem splendidis facibus: lucis, quae fines terrae illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quae dixit: Ego lux in mundum veni: lucis, quae assumpta est, et illuminavit cuncta, quae sunt in caelis et in terrâ. Tu. ꝑ.

LECTIO 8.

O Virgo Sanctissima, quae exercitum

Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum erit est miraculum in caelis Mulier amicta sole: stupendum miraculum in caelis: mulier gestans lucem in ulnis: stupendum miraculum in caelis, alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in caelis, mulieris filius, qui et ipsius et sæculorum est Pater: stupendum miraculum in caelis, thalamus Virginis, habens Filium Dei, Deum Sponsum Christum: stupendum miraculum in caelis, Dominus Angelorum Iulianus Virginis effectus est. Tu. ꝑ.

LECTIO 9.

O Sanctissima Virgo Mater Salvatoris, quae genuisti principio carens Verbum, scilicet, eundem cum Patre habentem thronum, consubstantialem Patri, et Spiritui Sancto, qui cum Patre et Spiritu Sancto est ante sæcula, qui concameravit caelos, et terram condidit. Ave Sanctissima Virgo, quae velut rubus intellectualis absque combustione divinitatis ignem tenes: cibus intellectualis, qui ignem et panem vitæ calidum mundo in esum attulit. Tu. Te Matrem.

*Vesp. à capit. sequentis.*

DIE XXVII. JAN.

**D. V. ROMANE S. M. MAJORIS.**

*Duplex.*

*Oratio.*

Dirigantur, quasumus Domine, viæ nostræ ad tuas justificationes custodiendas, ut gloriosæ Dei Genitricis et Virginis MARIE patrocinis subletemur, et ejus semper orationibus à malis imminentibus defendamur. Per eundem.

*Lectiones 1. Noct. de Ferid. occur.*

IN II. NOCT.

*Ex ofe. prop. Cler. Basil. Liberiana*

LECTIO 4.

Veneratissima Deiparæ Virginis Ima-

go, in tabulâ coloribus expressa, multis ante sæculis in Basilicâ Sanctæ MARIE Majoris asservata, maximâ semper devotione à principibus viris, omnique populo culta fuit. Illam namque à Sancto Lucâ Evangelistâ depictam fuisse, et à Sancto Gregorio Magno celebri solemniter supplicatione ad Sanctum Petrum delatam, pestilentiam quæ tunc urbem atrociter vexabat, depulisse antiquâ et constanti traditione à majoribus acceptâ, omnes pie sentiunt, ac fatentur. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Crevit autem in dies eadem Imaginem pietas, ac devotio ex miraculis, et beneficiis quamplurimis, quæ Deus per illam omni tempore usque in præsens operatus est, ut ex pretiosis donariis, tam vetustis, quam recentibus, aliisque documentis liquidò comprobatur. Quarè Paulus Quintus volens prædictam Imaginem illustriiori loco reponere et præstantiori cultu ab omnibus honorari, Sacellum in eadem Basilicâ magnificentissimum extruxit. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Ipsam verò Imaginem celeberrimâ pompâ per Exquillas delatam, comitante Sacro Cardinalium Collegio, Episcopis ac prelatiis omnibus, qui Romæ aderant, insequentibus; magnâ totius Romani Cleri et cæterorum Ordinum frequentia, innumerâque non solum urbis, sed et finitimarum etiâ civitatum, conflente multitudine, Dominicâ ultimâ Januarii, Pontificatus sui anno septimo, in arâ maximâ ejusdem Sacelli honorificentissimè collocavit: Officia divina de Beatâ Virgine, ritu duplici quotannis ipsâ dominicâ à Clero hujus Basilicæ celebrari sancit, et indulgentiam plenariam fidelibus intra octo se-



quentes dies sacram Imaginem visitantibus esse clarigius. Tu. ꝑ.

## IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam. LECTIO 7. 2. 13.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: transeuntibus usque ad Bethleem. Et reliqua. Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Hom. 2. in cap. 2. Lucae.

Nec contemnenda putes quasi vilia verba pastorum. A pastoribus etiam MARIA fidem colligit. A pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur. Mirari enim sunt omnes, qui audierunt de iis, quae dicebantur à pastoribus ad ipsos, Tu. ꝑ.

## LECTIO 8.

Discamus Sanctae Virginis in omnibus castitatem, quae non minus ore pudica, quam corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si MARIA à Pastoribus discit, cur tu declinas discere à Sacerdotibus? Lect. 9. Si MARIA ante praecepta apostolica tacet, cur tu post apostolica praecepta magis cupis docere, quam discere? Discere vitium esse personae, non sextus: sexus enim sanctus. Denique MARIA praeceptum non accipit, exemplum edit. Tu. ꝑ.

## LECTIO 9.

Commem. B. V. in Insula Danubii. Gumpenb. Im. 473.

Danubius in Hungaria latissimus Insulam habet, in qua Monasterium Sanctimonialium olim fuit, quod nomen retinuit Monasterii Beatae MARIE Virginis. Ejus origo haec fuit: Filia Regis Beata Margarita voto virginitatis facto solitudinem ambiens, plium patrem movit, ut Cenobium in Insula Danubiana strueret, in qua ipsa cum Monialibus Sancti Dominici religiose viveret. Memorantur plurima ibidem à po-

reginis oblata beneficia; ita ut inter miraculosos numerari haec sancta Imago meruerit jam ab anno millesimo ducentesimo septuagesimo, quo ipsa Margarita sine vitium suam clausit. Tu. Te Matrem.

## CANON.

Ex Paulo Papà Quinto.

Const. 253. Immense bonit. an. 1615.—B. R. T. V. p. 4.

## p. 183.

462. Ubi primum ad apostolatibus apicem evecti fuimus, singulari erga gloriosissimam Virginem, et illius sacratissimam Imaginem Sanctae MARIE Majoris devotione, et divina quadam inspiratione permoli, in illius honorem insigne Capellam à fundamentis extruere et ornare, ac eandem Imaginem, quae in medio dictae Basilicae navi prope dextrum cornu altaris majoris in ligneo ciborio marmoreis columnis elato colebatur, ad capellam novam praedictam transferre, et supra altare ejusdem capellae propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus. Tu.

Vesperae à cap. de seq.

## DIE XXVIII. JAN.

## D. V. MATRITENSIS DEREMEDIIS.

## Duplex.

Lect. 1. Noct. de feriâ.

## IN II. NOCT.

## LECTIO 4.

Gumpenberg. Imag. 771.

Celeberrima in urbe Matriti est Imago Beatae Virginis de Remedii, sic dicta, quia, ut tradunt, nullum nec animam nec corporis morbum esse, cui remedium hoc in loco inventum non sit. Porrò haec Imago mirabile consecuta est iter, ut veniret Matritum. Romae fuisse dicitur, et ibi in assumptione Sancti Gregorii Ponti-

ficis, qui eam in Angliam ad Neophithorum solatium misit cum Augustino, qui fidem Christianam intulit insulae. Tu. ꝑ.

## LECTIO 5.

Ubi verò haeresis Angliam ingressa est, haec Imago fuit in Zelandiam delata inter alia sacra, et ad civem quemdam devenit, apud quem cum quidam miles Hispanus, Joannes de Origuella dictus, haberet hospitium, et aliquando ignem pellendo frigori postularet, inter sarmenta hanc quoque imaginem ancilla attulit, et in ignem coniecit. Mediam omnino per horam jacuit in igne illusa, cum miles conspectam Imaginem illicò flammis exeruit, pretioque hospiti soluto, suam fecit per omnia illesam praeter faciem aliquantulum denigratam cum signo in sinistra parte frontis instar carnea pustulae. Tu. ꝑ.

## LECTIO 6.

Joannes in Hispaniam redux, ubi Concham in patriam suam venit, eam Reverendis Patribus Sanctissimae Trinitatis de Mercede dono dedit. Sed Patris Provincialis jussu Matritum delata, in ejusdem Ordinis templo collocata fuit. Vix ubi importatus sacer thesaurus spem incolis fecit caelestium gratiarum: maxime postquam duo Religiosi, qui eam huc deportarunt, pericula sua denarravere, in quae paucis ab urbe stadiis inciderunt. Tu. ꝑ.

## IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 2. 6.

In illo tempore: Impleti sunt dies MARIE, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum. Et reliq.

Homilia S. Thimotei Presb. Jerosolimitani.

Orat. de Proph. Simeon.

Quid aspicias, Virgo, Puerum hunc tuum, et non tuum? Mansisti enim

Virgo, sicut eras prius. Quid eum continentur interis, atque frequenter amplexaris? Quid mammam ei semper admoveas, an mifidorem Filium habere vis? Non indiget nutrimento, ipse quippe mammae et vitae largitor est. Quid teneris manibus infantem ventilas, atque demulces, ac somno consopire vis? Hic Puer pro abscondita suae deitatis dignitate somno non premetur, neque dormiet, qui custodiet Israel. Tu. ꝑ.

## LECTIO 8.

Quid aspicias, Virgo, hunc Puellum? Hic Puellus, ð Virgo, oculatà Deitatis vi coelum tanquam pellem extendit: terram item super nihilum suspendit: aquam quasi fulcrum et sustentaculum mundo fundavit.

Lectio 9. Hic Puer, incorrupta Virgo, solem regit, lunam gubernat, ventus tanquam in thesauro recondit, et omnium rerum potestatem habet, atque dominatum. Ex hoc Puer, Virgo, noli sperare laetitiam saecularem, sed spiritua-

## lem. Tu. ꝑ.

## LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Raccuensis de Laureto.

Octav. cajet. de effig. Siculis.

Circa annum millesimum quingentesimum Edes Lauretanae Virginis fabricata fuit in Raccuina oppido Siciliae defuncti hominis monitu. Quidam enim Joannellus Jambrunus post mortem apparuit amico, à quo enixè postulavit, ut in Sanctissimae Lauretanae Virginis honorem edificaretur templum, cujus ipsè aream descripsit. Addidit etiam ubi certum spatium effoderit, in eo loco cruceam ligneam inventurum, ac pro impensis in areâ suâ conditum thoracem, in quo aerei scutati centum asservabantur. Amicus, transactâ nocte, imperata perfecit, et invento thorace, et cruce lignea, sa-



eram Adem strui curavit Laurenae Virginis, quae in cultu semper est habita. Tu. Te Matrem.

Cum 2. Vesper.

DIE XXIX. JAN.

B. MARIAE V. DE USOA.

Semiduplex.

Lection. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Hist. B. V. de Usodæ ex P. Areso.

In Navarra regno, tempore quo à Mauris invadebatur Hispania, quidam Pastor Imaginem Beatæ Virginis inter pascidas oves, in profundâ petrarum concavitate invenit, ubi per assiduitatem quâ illæ versabatur columba, aliquod mysterii ibi adesse cognoverat. Tantò igitur invento thesauro, ad vicinum pagum, cui nomen Blanca, se contulit, et enarrato prodigio, ad elevatum Usosæ montem supplicatio solemnè unanimi majorum consensu ordinata fuit. Tu. ð.

LECTIO 5.

Eo autem cum pervenissent, facti sunt de veritate per visum enuntiatum miraculi certiores: atque celestis gaudii inîtus perfusi, corde magno asperimur illum saltum in habitationis locum sibi decreverunt assumere, ut propius Deiparam manerent, relicta oplabili pagi planitie ac feracitate. Et in hoc confirmati consilio magnificum templum Deo in honorem ejus Genitricis sanctissimæ in ipsomet loco, ubi ipsa apparuit, edificaverunt, atque suas domos in circuitu templi. Tu. ð.

LECTIO 6.

In temporis decursu sicut et fidelium erga Virginem devotio, ita et prodigia Virginis erga omnes multiplicata fuere. Illic cæci visum, surdi auditum, multi loquelam,

claudi gressum oblinebant. Ex omnibus Hispaniæ confinibus, Galli, et Itali quoque Usosæ ad Deiparam confluebant. Duces etiã, Principes et Reges eam Imaginem invisabant. Garcia Navarra Rex Usosam contra Mauros munivit, et reliqui omnes hujus ditionis reges, plurimis donis, ac ingentibus privilegiis Virginis Basilicam ditaverunt, ita ut mirum in modum ibi Beatissima Virgo semper fuerit honorata. Tu. ð.

IN III. NOCT.

Lection. Sancti Evangelii secundum Matthæum.

LECTIO 7.

c. 5. 1.

In illo tempore: Ascendit JESUS in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregentii Arch. Tephrens.

In disputat. cum Heribano Judæo. Thaman quid significat? Et mons (Pharam) obumbrans quid indicat? Thaman quidem eum è supernis venire declarat, nempe è cælo, id est, ab ortu: veritas autem demonstrat, quod è virginali corpore Propheta affirmat ipsum habiturum esse humanitatem, quemadmodum event, et ex sanctâ Domini nostrâ Dei Genitricis semperque Virgine MARIA. Tu.

LECTIO 8.

Mons verò obumbratus ipsa est Virgo, ex quâ prodiit ineffabiliter carne indulus. Montem autem ipsam dicit, eo quod ut in montem Sina, sic in ipsam descendit Deus, et obumbravit: vel propter virginitatis impervium accessum (siquidem montium densitas accessu est perdifficilis), vel potius omnino invisâ. (Lect. 9.) Obumbratam autem ipsam indicat, propterea quod in ipsâ simul cum virtutum multitu-

dine, virginitatis ipsius mysterium obumbrat: adde, quod nescitur, quomodo hæc genuit. Virgo enim peperit, et post partum Virgo salva et integra permansit. Tu. ð.

LECTIO 9.

Commem. B. V. Villarrubianæ de Sierra.

Lanuza, Histor. Arag. libr. 3. cap. 8.

Non longè à Villarrubia in Aragonia apparuit beatissima Virgo cuidam opilioni, eique injungit, ut templum sibi extrueretur in eodem, in quo apparuerat, loco. Nihil de tempore apparitionis liquet: attamen templum antiquissimum est, satis capax et ornatum. Habet Xenodochium infirmis, atque Hospitium peregrinis, et domesticis adjunctum. Miracula ibi plurima ope Virginis patrantur, ut apparet ex innumeris tabellis in utroque templi latere appensis. Indè ingens fit ad hanc Deiparæ Imaginem fideiolum accursus. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXX. JAN.

ASCENSION. B. V. IN JERUS. AD PURIF.

Duplex.

Si fuerit impeditum, transfert. in diem sequent.

AD MATUTIN.

HYMNUS 192.

Salla.

Christum sub atræ tegmine Noctis peregrè infantulum Zelo Parentes conciti Secum ferentes prodeunt.

Qui verus ipse in proprio Salomon recumbens lectulo, Matris sinu videlicet Vectus periclo demitur.

Tuentur illum lectulum Contra timores noctium Bis quinque fortes sexies

Ex Israel fortissimis.

Hi namque semper ambiunt Ipsumque, omnes ensibus Cincti femur, quam strenui, Ad bella quam doctissimi.

At vos, humi scabedines, Hibernæ et insælabiæ Divis peregrinantibus Savire miles parcite.

Dozolog. de Tempore.

IN I. NOCT.

LECTIO 1.

c. 6. 1.

In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super soolum excelsum et elevatum: et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Tu. ð. O meritis. p. 504.

LECTIO 2.

Et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. Et commota sunt superimmaria cardinum à voce clamantis. Et dixi: vae mihi, quia tecum, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, et Regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Tu. ð. Quæ circa te. p. 504.

LECTIO 3.

Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixi: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur. Tu. ð. Præmia. p. 504.

IN II. NOCT.

Sermo S. Methodii Ep. et Martyris.

Oratio de Simeone et Annâ.

LECTIO 4.

Sunt hæc Propheta per Spiritum



prænuñtiata oracula. Tu verò, mihi carissime, vim ditorum considera, ut Sacramentorum eventum assequaris. Ecce enim ceu thronus sublimis et elevatus ob ejus gloriam, qui est fabricatus, Virgo Mater Regi Domino Sabaoth spectatissima illic statuitur. Super illo nunc ad te venientem in carne Dominum perspic. Super illo virginali, inquam, throno eum venerare, qui novam hanc, omnibusque laudibus prosequendam ad te perfectionem adornavit. Tu. *¶* Quid Michael. p. 504.

## LECTIO 3.

Itaque eduxit Propheta Virginem ex Nazareth, ut in Bethleem fetum illum salutarem eniteretur: eandemque iterum propheta reduxit, ut spem vitæ mundo manifestaret. Solvens igitur Dei arca ex Bethleemico diversorio: illic enim solvit legem quadraginta dierum: non justitiæ sed gratiæ debitum, requievit in montibus Sion, accipiensque castissimo sinu, tanquam sublimi quodam, et humanam omnem naturam superante, throno, regem illum omnium. Illum, inquam, eodem Deo et Patri thronum sublimem Filium, nec ipso excedentem: unâ illic cum assumptâ ex ipsâ inlemeratâ carne eidem præsentavit. Tu. *¶* Credo aller. p. 504.

## LECTIO 6.

Ascendit in templum sacra Mater, novum legi exhibitura miraculum, prolemque diu quesitam, quæ nimirum virginealem vulvam aperuit, nec tamen virginitatis clausura dirupit: prolem lege superioriorem, quæ tamen legem implevit: prolem ortu priorem, posterioremque: prolem denique ex ipsâ incarnatam supra legem naturæ. Ascendit igitur in templum illa templo celsior, cuplicem induta gloriâ: intereratâ,

inquam, virginitatis, et ineffabilis fecunditatis: legis benedictionem, et gratiæ sanctificationem. Tu.

*¶* Iste ald. p. 505.

## IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam. LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua. Homilia S. Laurentii Justiniani Ep.

*Sern. de Purific. B. V.*

O honor femina ac excellentia MARIE, cujus meritorum celsitudine et gratiarum opulentia stapet cœlum, natura miratur, et sancta beatorum Spirituum venerantur agmina. Lect. 8. Non enim capit polus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quod MARIA suscepit mente, concepit in corpore, gestavit in utero, nutritiv lacte, portavit brachiis, fovit in gremio, et est amplexata in carne. Tu.

*¶* Nesciens Mater. *De Commun.*

## LECTIO 8. (Lect. 9.)

Super Angelorum, Archangelorumque transcendit gratiam, quod de MARIE Carne Verbum factum est caro, quod integritate custodiâ Verum generat, fecundat Spiritus, Deum parit femina, quod sit Mater et filia, ancilla et Domina, supra legem et sub lege. Nemp supra legem fecerat gratiâ, sub lege humilitatis. Tu. *¶* Creator generis.

## LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Giennensis ad Coronâ.

*Gumpenberg. Im. 395.*

Giennensis urbs in Hispaniâ inter prima ornamenta numerat hanc miraculosam Imaginem ligneam, quæ in Campo giennio intra campanam in terram defossam, Alphonso decimo rege, inventa fuit, et à Coronâ, quam capite gestabat

coronata nomen accepit. Ex tunc jam miraculis clare cepit, ita ut erecti Sacelli parietes, non multo delapso tempore, vinculis ferreis captivorum qui ap ipsâ libertatem miraculosè acceperunt omninò tegebantur. Anno millesimo quingentesimo è Sacello factum templum, cui Carmelitarum cœnobium fuit adjunctum, accursum auxit, sed auxit quoquè Deipara gradias. Stetit hoc cœnobium usque ad annum millesimum sexcentessimum vigesimum primum quò annunte Episcopo, patres propter aërem gravem unâ cum sacra Imagine in urbem migrarunt, ubi in hunc usque diem honores suos accipit. Tu. Te Matrem.

*Ad Benedict. ant.* Vidi puerum JESUM, sedentem super solium Beatæ Virginis, excelsum virtutibus, et elevatum meritis.

*Cum secund. Vesper.*

## FESTA FEBRUARI.

## DIE I. FEB.

## VIGILIA PURIFICAT.

*Simplex.*

*Omnia ut in feriali Offic.*

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 1. c. 2. 23.

Scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

*Super Luc. libr. 2.*

Partum ipsum Virginis esse, qui lege signetur, in eodem modo ab Angelo repetita verba declarant: quia quod nascetur, inquit, Sanctum, vocabitur Filius Dei. Non enim virilis coitus vulvæ virginalis præcepta reseravit; sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus San-

ctus infudit: solus enim per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus JESUS, qui terrænæ contagia corrumpela immaculati partus novitate non senserit, et cœlesti majestate depulserit. Tu. *¶* de feriâ.

## LECTIO 2.

Nam si literam sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non latet? Nunquid Sanctus Achab? Nunquid Sancti Pseudopropheta; quos ad Eliæ preces ultor cœlestis injuriæ ignis assumpsit? Sed ille sanctus, per quem figuram futuri mysterii pia legis divinæ præscripta signabant: eo quod solus sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei immaculatâ fecunditatis aperiret genitale secretum. Tu. *¶*

## LECTIO 3.

Ille ergo solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum: qui enim dixerat ad Prophetam: priusquam te formarem in utero novi te: et in vulvâ matris sanctificavi te. Qui ergo vulvam sanctificavit alienam, ut nascereetur Propheta, hic est, qui aperuit Matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret. Tu. *¶*

*Preces.*

*Oratio.*

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui tantam Genitricis tuæ Sanctissimæ prævenimus solemnitate, celestibus donis ad eam ritè celebrandam præveniamur. Qui vivis.

*Ad Horas omnia de feriali Offic. Vesperæ de sequenti.*

## DIE II. FEB.

## PURIFICATIO B. MARIE V.

*Dupl. 1. Class. cum Oct.*

## IN I. VESPER.

*Ant. 1.* Gaude et letare, filia Sion: ecce Rex tuus et Deus tuus in medio tui.